



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XVII. De filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](#)

T I T U L U S X V I I .

DE FILIIS PRESBYTERORUM ORDI-
NANDIS, VEL NON:

§. I.

*Quinam ob defectum natalium ab
ordinibus, & beneficiis Ecclesiasti-
cis repellantur?*

Rpelluntur ob defectum natalium filii Presbyterorum (quos scilicet in Sacerdotio generuerunt) & omnes alii illegitimi nati, non tantum spuri, sive ex nefario & damnato jure Civili coitu nati, sed qui ex simplici etiam fornicatione geniti fuerunt, quamvis occul-
tus hic defectus sit (nisi necessitas aliud urgeat) ita ut nec ad minores, nec ad sacros ordines promoveri absque dispensatione possint, nec ad beneficia Ecclesiastica (ob excellentiam scilicet statutis Clericallis, & dignitatem ordinum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum) nisi Monachi siant, vel in alia Congregatione Canonica seu regulati vivant, prout habetur in c. i. b. t. c. l. eodem in 6. (per professionem enim regularem aut ordinum dignitatem videtur corrigi illa macula saltem in ordine ad ordines, cum possint isti quidem sine dispensatione alia ad ordines etiam sacros promoveri, non tamen ad Praelaturas, aut alias dignitates, vel beneficia curam animarum habentia, sive extra sive intra ordinem (c. final. b. t.) vel nisi illi, qui ex simplici fornicatione geniti fuerunt, per subsequens inter patentes matrimonium fuerint legitimi-

mati, prout patet ex toto tit. I. s. decret. qui filii &c. Et quamvis qui ex conjugatis, quibus ob ordines a marito suscep-
tos, aut professionem alterutrius reli-
giosam, per quam tamen matrimonium non dissolvitur, illicita copula est, genera-
turus, illegitimi non sint in ordine ad hæreditariam successionem, aut alia similia civilia jura filii legitimis competen-
tia, in ordine tamen ad ordines, & be-
neficia Ecclesiastica habentur irregula-
res, ita ut sine dispensatione ad hac pro-
moveri non possint, ob maculam & tur-
pitudinem aliquam, ex incontinentia pa-
rentum illis adhaerentem. De expositis
infantibus dubitant aliqui, utrum tan-
quam irregulares ab ordinibus, & bene-
ficiis Ecclesiasticis repellantur: affirma-
tiva & negativa assertio suos habet Pa-
tronos, tum quod plerumque illi infan-
tes taliter exponantur, qui illegitimè na-
ti sunt, in obscuris autem inspicimus,
quod plerumque fieri solet juxta regulam
juris 114. ff. de regulis juris, tum quod
in dubio temper benigniora sint praefe-
renda juxta regulam ff. 56. præsertim
cum in favo em prolis agitur.

* * *

* * *

*

§. II. Quis

§. II.

*Quis dispensare possit cum illegitimi-
mis, & qualis interpretatio facienda
sit in ejusmodi dispensatio-
nibus?*

Respond. primò ad m i o r e s ordines, Dignitates, Personatus, & beneficia curata, Episcopus dispensare non potest cum filiis Presbyterorum, & aliis illegitimè natis (œcularibus scilicet, de quibus dubitari potest) sed solus Papa, prout habetur in c. nimis 19. b. t. Potest tamen Episcopus cum his dispensare ad ordines minores, & beneficia non curata, prout à contrario sensu ex relat. c. colligitur & expressius habetur in c. 1. b. t. in 6. & quamvis ex stylo Curia Romanae, qui observari debet, ad Canonici-
tus Ecclesiastum Cathedralium, licet simplicia beneficia sint, dispensare non pos-
sit, cum illegitimè natus Episcopus, cùm ipse etiam Papa, ad obtinenda quæcumque beneficia dispensans illegitimè natum, Canoniciatus tamen talium Ecclesiastum exceptos velit, ob excellentiam scilicet & dignitatem talis Ecclesie, spe-
ctato tamen jure communii antiquo, quod absolute potestatem dispensandi cum illegitimis ad simplicia beneficia concedit Episcopo, & seclusa consuetu-
dine Curiae, probabilius est, quod etiam ad hos Canoniciatus, cum illegitimè natu-
ris, dispensare possit Episcopus, si tam-
en ad ordines sacros, quos vi Tridentini quilibet hodie Canonicus habere de-
beret, ubi quoad hoc Trident. recep-
tum est, à Pontifice dispensatus fuit.
Certiū est, quod ad Canoniciatus Ecclesiastum Collegiatarum dispensare non

possit Episcopus, si cum consensu Epi-
scopi, aut confirmatione Apostolica sta-
tutum ab Ecclesie illius Capitulo factum
fuit, de illegitimè nato in fratrem non
recipiendo, non quidem vi juris com-
munis, sed vi talis statuti: neque dispen-
sare possit, ut plura beneficia simplicia
similiter retinere possit, cùm facultas Epi-
scopij tantum se extendat ad unum bene-
ficium obtinendum, si illud sufficiat ad
honestè sustentandam beneficium, uti
colligitur ex citato c. 1. §. ille vero junct.
glossa V. per sedem, & ex mox dicendis
magis patebit.

Resp. secundò dispensatio etiam Pa-
palis, super defēctum natalium, strictè
explicanda est, ita ut ad ea, quæ expre-
sa non sunt, sive ultra ea, quæ verba
strictè & propriè accepta significant, ex-
tendenda non sit, quia dispensatio cùm
sit relaxatio juris communis, tanquam
odiosa strictæ interpretationis est: &
hinc quia nomine ordinum simpliciter
postorū intelliguntur minores tan-
tum, non potest vi dispensationis illius,
illegitimè natus, ad ordines suscipiendo
dispensatus, ordines majores suscipere;
& dispensatus ad beneficia, quæcumque
indeterminatè, non est dispensatus ad
Dignitates, Personatus, beneficia curata,
Pensiones &c. cùm hæc omnia sub
stricta beneficiorum acceptance in ma-
teria restringenda non veniant, & juxta
stylum Curiae specialiter sint exprimenda:
dispensatus vero ad ordines sacros suscipiendo,
dispensatus etiam est ad be-
neficiū simplex acquirendū, cùm
ordinis sacri sine beneficio, de jure
communi & ordinatio conferrir non sole-
ant.

§. III. An

§. III.

*An, & quo pacto filii illegitimi,
Etiam legitimi Presbyterorum à beneficiis paternis, & Ecclesiæ paterna ar-
ceantur, & quis cum iis dispen-
sare posse?*

Fili Presbyteri, aut etiam alterius Clerici, etiam in minoribus consti-
tuti, illegitimè natus non potest ullum
beneficium obtainere, neque quoquo
modo ministrare in Ecclesia sacerdotali, in
qua Pater ejus Episcopatum, Præpositu-
ram, Decanatum, Parochiam, Cano-
nicatum, aut aliud beneficium Ecclesi-
sticum perpetuum obtainuit c. 2. 3. 4. 15.
16. b. t. tum quod indecorum sit, in ea-
dem Ecclesia Patrem & filium spurium
cum publicâ paternæ incontinentia in-
famia spectari, tum quod oderit Ecclesia
speciem quamcunque hæreditariæ suc-
cessionis in beneficiis: quin imò ob hanc
posteriorem rationem nec filius Clerici
legitimè natus (ex legitimo matrimonio
v. g. ante assumptionem Clericatum natus)
Patri suo in beneficio, quod in titulum
obtinuit pater, & per se, vel per Procu-
ratorum possedit, immediate succedere
potest (uti habetur in c. ad extirpandas
11. b. t. quamvis nunquam in Ecclesia
illa ministraverit, aut ullos fructus per-
cepit, absque dispensatione ab ipso
Pontifice obtenta c. dilectus 17. b. t. &
quamvis de nepote in linea recta descenden-
tium multi negent, quod possit post
mortem Patris sui suo avo immediate
succedere in beneficio, cum in tali casu
species hæreditariæ successionis locum
habeat; alii tamen sunt, qui probabili-
ter contrarium dicunt, & successionem

in tali casu permittunt, cùm in materia
prohibitoria, velut odiosâ nomine filio-
rum, de quibus jura loquuntur, non ve-
niant nepotes; de nepote tamen in linea
laterali, quod in beneficio sui Patri vel
Avunculi succedere immediate pos-
sit, vix dubitatur, & ex e. ex parte 12.
de off. deleg. desumitur, nec enim inter
collaterales tanta est necessitudo suc-
cessionis, quanta est in linea recta; & hinc
ab omnibus conceditur, quod frater fra-
tri immediatè in beneficio succedere pos-
sit; prout etiam facile concedunt omnes,
quod successio fieri possit inter Patrem,
v. g. & filium legitimum, si alius inter-
medius in beneficio Patri successor sit, uti
patet ex e. ex transmissa 7. b. t. quia in
hac mediata successione non est species
aut periculum successionis hæreditariae
ob intermediam personam extraneam
inter patrem & filium.

§. IV.

*Quid jure novo statutum sit circa
successiones filiorum illegitimorum in
Ecclesiis, vel beneficiis pa-
ternis?*

CIta successionem filiorum illegiti-
morum in paternis Ecclesiis, &
beneficiis, de jure novo alia statuta sunt,
& priora iusta decretalium, in aliquibus
correpta sunt: & primò quidem in Cle-
mentina ad Canonum conditorem, quæ
habetur apud Quirrantum in summa
Bullarii V. illegitimi & à Clement. VII.
1533. emanavit, prohibetur simpliciter, ut
ne de cætero filii Presbyterorum ex for-
nicatione nati, quæcunque Ecclesiastica
beneficia, cum cura, vel sine curâ secu-
laria, & quorumvis ordinum regulatio,
quæ

quæ eorū Patres Presbyteri, & Clerici, ac Religiosi, in titulum, vel commendam, aut administrationem, ad tempus, vel in perpetuum, aliquando obtinuerunt, ullo unquam tempore, quoquo modo, obtinere possint, absque spe dispensatlonis impetrandæ à sede Apostolica: in Tridentino verò *sess. 25. c. 15. de refor-* statuitur, quod non licet filijs Clericorum, qui non ex legitimo matrimonio nati sunt, in Ecclesijs, ubi eorum patres beneficium Ecclesiasticum aliquod ha- bent, aut haberunt, quocunq[ue] etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesijs quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus bene- ficiarum, quæ parentes eorum obtinent, alijsve obtinuerunt, habere &c. ut pa- ternæ scilicet incontinentiæ memoria,

prout loquitur Tridenti: ab Ecclesijs, vel locis Deo consecratis, quæ maximè puritas sanctitatisque decet, longissime ar- ceatur. Quæ constitutiones uti non sunt extendendæ ad filios legitimos Cleri- corum ante Clericatum ex legitimo ma- trimonio genitos; nec ad patrem re- spectu filij; nec ad Nepotes Clerico- rum, cum tantum de filijs illegitimis lo- quatur, & consequenter veluti odiosæ ul- tra verborum proprietatem extendendæ non sint, ita impediunt etiam, quo mi- nus tales filij, quamvis per rescriptum subsequens Principis legitimati essent, in Ecclesijs, ubi patres eorum beneficia obtinent vel obtinuerunt, ministrare ex officio pro accepto stipendio possint, cooperatorem, v. g. agendo, canteris aut sacrificiæ officia agendo.

TITVLVS XVIII.

DE SERVIS NON ORDINANDIS, ET EORUM MANUMISSIONE.

Servi seu mancipia, propriè dicta ad Ordines etiam minores promoveri non possunt, nisi à dominis suis fuerint manumissi vel libertate donati *c. 1. b. t.* ob dignitatem scilicet clericalem, cui videtur servilis conditio derogare, ita ut si sciente domino suo, & non contradicente, in Clericum ordinatus fuit, eo ipso liber sit, *can. si servus 20. dist. 24.* quia res sive persona, quæ ex juris saltem interpretatione Deo consecrata est, non debet amplius humanis mancipari servitijs, *juxta regulam 51. in 6. si verò*

Compend. Pirking.

domino ignorantie ad minores tantum ordines promotus sit servus, manet ser- vus, & Dominus eum vindicare potest, prout sumitur, *exc. 2. b. t.* ad sacros ve- rò ordines si promotus fuerit, domino ignorante aut invito & contradicente servus, servus quidem liber efficitur, Episcopus tamen, qui sciens eum servum ordine sacro insignivit, aut si nescivit, servum eum esse, quem ordinat, qui de ejus libertate testimonium perhibent, vel scientes eum servum, Episcopo pro ordinibus conferendis præsentant, aut

R

sup-